

res, quae ex materia et forma constant. Notio enim generica quasi materia habetur, quam in se indeterminatam differentia tanquam forma accedens in notione speciei constituit.

### C. Arbor Porphyriana:

Si praedicamenta et praedicabilia nunc inter se comparantur, possumus in unaquaque categoria seriem notionum ita ordinare, ut ex individuis, sublatis successive differentiis individuantibus, specificis et genericis, usque ad suprema genera ascendamus, et vice versa, ex supremis generibus categoriarum, additis iterum notis genericis, specificis et individuantibus, ad individua descendamus. Hoc modo statuitur celebris illa quae dicitur arbor Porphyriana, in qua Porphyrius primus in sua ad organum Aristotelis introductione (isagoge) integram seriem generum et specierum in categoria substantiae efformavit. Patet, etiam in novem aliis categoriis similem fieri posse seriem vel arborem accidentium.

	Substantia	
materialis		immaterialis (species angelorum).
	Corpus	
animatum		inanimatum (species corporum naturalium).
	Vivens	
sensitivum		insensitivum (species plantarum).
	Animal	
rationale		irrationale (species animalium).
	Homo	
Petrus		Paulus etc.

## Caput II: De termino ideae signo.

### § 1. Notio terminorum.

1. (*Notio et divisio signi.* Ea est natura nostra, ut ideas sermone exprimamus, quare voces sunt signum naturale idearum et quidem signum sensibile facilitate, ubertate, utilitate sua ad ideas distinguendas, fixandas et memoria conservandas, communicandas verbo vel scripto ab initio mundi maxime usitatum; unde vocabula spiritualem cognitionis nostrae naturam quodammodo imitantur.)

a) „Signum vocatur, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius.“<sup>1)</sup> (Distinguitur autem ratione subiecti cognoscentis signum *quod seu obiectivum* (instrumentale) et signum *quo seu formale* sive subiectivum. Signum *quod* est illud, quod prius cognitum ducit in

<sup>1)</sup> S. Thom. S. Th. III, q. 60, a. 4.

cognitionem alterius, sicut ex fumo ignis cognoscitur; signum *quo* est, quod sine praevia sui cognitione ducit in cognitionem alterius, sicut mediante imagine illa in retina oculi formata obiecta ipsa videmus.)

b) Ratione rei significandae signum potest esse *naturale* et *arbitrarium* sive conventionale; *naturale* est, quod vim significandi, i. e. nexum cum re signata ex ordine naturae habet, e. g. gemitus signum doloris; imago in speculo; *arbitrarium* est, quod vim significandi habet ex hominum institutione sive conventione e. g. laurus signum victoriae. (Signum naturale potest esse tum formale tum obiectivum; arbitrarium vero semper est obiectivum.)

c) Ratione modi significationis signum dividitur in *manifestativum* et *suppositivum*. Illud est, quod rei alicuius existentiam pro quovis tempore indicat, ut monumentum victoriam; hoc vero rei ipsius praesentiam supplet eiusque vices gerit in mente; ita statuae, imagines imperatoris, sanctorum honorantur, crux Christi adoratur. — Ex his patet, ideas ipsas esse *signa*, quia manifestant obiecta, et quidem *signa quo* (formalia), quia significant, ita ut prius non percipiuntur; deinde *signa naturalia*, quia ex ordine naturae repraesentant; tandem *signa non solum manifestantia*, sed *suppositiva* rerum, quia earum in mente vices gerunt.)

2. *Notio vocabuli et termini.* Voces, i. e. soni ab animali ore prolati, distinguuntur *inarticulatae* et *articulatae*; illae *possunt* esse *signa naturalia*, e. g. doloris, famis; hae vero sunt *vocabula*, et si non inania sunt, vocantur a) *signa idearum* ac proinde etiam rerum ideis expressarum; vocibus enim manifestamus, quod mente concipimus; b) sunt *signa quod* (obiectiva), quia ex ipsis prius cognitis comperimus, quid homines sentiant; c) sunt vero *signa arbitraria*, quia ex institutione humana manifestant; ipsa enim natura vocabulorum et grammatica historiaque linguarum ostendit, non esse nexum naturalem ac proinde necessarium inter voces et ideas; d) deinde sunt *signa manifestantia* idearum, quia directe ideas, non res exprimunt; e) tandem sunt *signa suppositiva* rerum, quia in propositione vices rerum gerunt, sicut *ideae in mente*.<sup>1)</sup>

Vocabula sunt partes *orationis*; haec enim est *apta vocabulorum ordinatio ad aliquid exprimendum*. Qua in re nomen et verbum (substantivum) partes habent principales, quia in illas partes tota oratio dissolvi potest; ideo vocantur *termini orales*, vel simpliciter *termini*, *ideae vero termini mentales*.)

<sup>1)</sup> Copia vocabulorum pro perfectione linguarum magna est; sic in lingua germanica 70 000 fere habentur, quorum eruditi in conversatione 3–4000, illiterati 400 fere adhibent.

## § 2. Divisio terminis propria.

## A. Ratione significandi:

(a) Terminus *significans per se* (categorematicus), qui per se solum habet plenam significationem, ita ut possit esse subiectum vel praedicatum propositionis, e. g. nomen: homo, verbum: loqui.

Terminus *significans cum alio* (syncategorematicus), qui non habet plenam per se significationem: e. g. pronomina, adverbia, praepositiones, coniunctiones, casus obliqui.)

b) Terminus *univocus, aequivocus, analogus*; *univocus* est, qui *idem et eodem modo* in pluribus significat; est ergo signum ideae proprie universalis, quam (supra p. 20) exposuimus; *analogus* est, qui *idem, sed non eodem modo* in pluribus significat, sicut idea analogica (supra pag. 21);<sup>1)</sup> *aequivocus* est, qui *neque idem neque eodem modo* in pluribus significat. Haec ratio aequivoca in vocabulis potest esse ex casu: gallus significans incolam Galliae et avem; vel ex intentione ad fallacias vel facetias instituendas. Non est in ideis, sed in solis vocibus.

## B. Ratione obiecti formalis (comprehensionis):

a) Terminus *positivus et negativus*. *Positivus* est, qui *rem in se exprimit*: homo, virtus; non confundendus est cum *idea propria* vel *directa*. *Negativus*, qui *rem per negationem* oppositae exprimit; hoc fieri potest per negationem contradictoriam: non-homo, et tunc terminus vocatur *indefinitus*; vel per modum privationis, et tunc limitatur ad obiecta apta, e. g. ignorans, innocens, insanus, et est terminus *proprie negativus*.

(b) Terminus *absolutus et connotativus*; *absolutus* est, qui substantiam vel rem per modum substantiae exprimit, e. g. homo, humanitas; *connotativus*, qui significat rem forma *accidentali* affectam, e. g. sapiens, rotundum; unde similis est ideae concretae, quae tamen latius patet comprehendens etiam res forma *metaphysica* indutas, quae proinde termino absoluto exprimuntur; terminus vero absolutus etiam exprimit ideas abstractas. Terminus connotativus expresse significat formam, indirecte vero, licet in recto, subiectum; hoc vocatur *significatum materiale, illa formale*.

c) Terminus *simplex et complexus*; *simplex* est, qui unum vocabulum continet, e. g. domus, arbor; *complexus*, qui pluribus vocabulis constat, e. g. homo sapiens. Terminus simplex non confundendus est cum *idea simplici*; nam potest significare tum ideam simplicem

<sup>1)</sup> Notandum est, terminum analogum sic definitum proprie non exprimere nisi ideas *intrinsicè* analogas, ita ut ideae *extrinsicè* analogae terminis aequivocis potius exprimantur.

tum compositam; terminus vero complexus semper significat vel ideam compositam vel plures ideas coniunctas. Vocabulum significans subiectum dicitur terminus *principalis*, exhibens formam vocatur *incidens*, et hic est *explicativus*, si tribuitur termino principali secundum eius comprehensionem ac proinde quoad totam extensionem: e. g. homo mortalis, Cicero orator; vel *restrictivus* (determinativus), si convenit ei secundum partem extensionis: e. g. philosophus dormiens; liber Platonis; amare parentes.

C. Ratione obiecti materialis (extensionis): a) terminus *proprius et communis*; *proprius* est, qui significat individuum determinatum: e. g. Plato; *communis*, qui de pluribus distributive praedicatur, e. g. homo. Terminus *proprius* exprimit ideam singularem neque confundendus est cum *idea propria*. Terminus *proprius* enim a) per se opponitur communi, idea propria non; nam haec potest esse et plerumque est universalis; b) terminus *proprius* potest exprimere tum ideam propriam, tum analogam, e. g. Deus; unde terminus *proprius* opponitur communi, idea propria vero analogae.

Terminus *communis* iterum dividitur in *singularem*, qui efficitur addito pronomine demonstrativo, vel termino incidente singulari, vel ex contextu, circumstantiis (ex hypothesi); in *particularem*, qui efficitur addito signo particulari (aliqui etc.), vel ex contextu, e. g. praedicatum in propositione affirmativa; in *universalem*, si signum universalitatis (omnis, nullus) additum vel addendum est; et *collectivum*, si plura ut unum per accidens significat (vide supra pag. 20).

## § 3. De usu terminorum.

Magni interest scire, quo sensu termini in propositionibus adhibeantur, ne falsi fiant sermones, vel falso intelligantur. Plurimae enim fallaciae in syllogismis oriuntur ex significatione terminorum immutata. (*Sensus vero vel significatio, quae terminis in oratione subest, vocatur eorum suppositio*. Iam vero termini possunt considerari per se soli, ratione verbi propositionis, ratione termini alicuius incidentis.

I. Si termini per se considerantur, suppositio potest esse 1) *materialis*, i. e. usus termini pro se ipso, in quantum est vox vel signum ideae, e. g. Cicero est vox; 2) *formalis*, i. e. usus termini pro re significata; et haec potest iterum esse: a) *realis*, si terminus rem significat, ut est in se: homo est mortalis. Cicero est orator; b) *logica*, si terminus rem exhibet, ut est solum in mente: Cicero est idea singularis, sive terminus *proprius*, individuum; homo est species.

*Realis* suppositio subdividitur: a) in *absolutam*, quae est usus termini pro *comprehensione* conceptus: homo = animal rationale;

b) in *relativam* vel *personalem*, quae est usus termini pro inferioribus in eius *extensione* contentis. Haec personalis suppositio potest iterum esse:

α) *Singularis*, si certum individuum significatur; e. g. hic homo.

β) *Distributiva*, si terminus supponitur pro omnibus et singulis individuis, quae *descensu copulativo* enumerantur: hic est mortalis et ille et alius homo est mortalis. *Distributiva* autem suppositio est *completa*, si de *singulis* individuis generis aut speciei, e. g. *omnis homo* est mortalis; *incompleta*, si de *generibus vel speciebus* singulorum praedicatur, e. g. omnia animalia a Deo producta sunt. Utraque iterum vel *simpliciter* est distributiva, si nulla est exceptio; vel *cum exceptione*, e. g. omne animal fuit in arca Noe.

γ) *Collectiva* suppositio est usus termini pro inferioribus simul sumptis, quae *descensu copulato* enumerantur, e. g. Pater et mater et filius etc. sunt familia.

δ) *Disiunctiva* est usus termini pro parte *determinata* extensionis: aliquis philosophus syllogismum invenit (sc. non quilibet, sed Aristoteles). Descensus ad inferiora vocatur *disiunctivus*: aut A invenit syllogismum, aut B, aut C etc.

ε) *Disiuncta* est usus termini pro parte indeterminata extensionis: calamus necessarius est ad scribendum, sc. quilibet, non certus. Descensus ad inferiora vocatur *disiunctus*: Vel hic vel ille vel quicumque alius calamus est necessarius.

II. Termini suppositio ratione *verbi* tempus significantis vocatur:

1. *Status*, si terminus praedicati (verbi) subiecto convenit illo tempore, quod verbum significat: caecus non videt.

2. *Ampliatio*, si terminus supponitur non solum pro tempore verbo expresso, sed etiam pro alio tempore: caecus non vidit (neque nunc videt).

3. *Distractio*, si terminus supponitur pro *alio* tempore, ac verbum exprimit: caeci vident. Patet, praedicatum subiecto ratione temporis non sensu composito, sed *diviso* tribui.

III. Terminorum suppositio ratione *termini incidentis* potest esse:

1.  *restrictio*, si terminus incidens restringit *extensionem* termini principalis: homo sapiens.

2.  *Diminutio*, si terminus incidens restringit *comprehensionem* termini principalis: albus quoad capillos; fortis vel sanus quoad corpus (non spiritum).

3.  *Appellatio*, si terminus incidens determinat significationem termini principalis speciali quodam modo. Subiectum vocatur terminus  *appellatus*, terminus incidens vero  *appellans*. Est appellatio  *formalis* (reduplicativa), si terminus appellans sumitur secundum significatum termini appellati, et haec est propria ratio appellationis: philosophus bonus (i. e. quoad ratiocinandum); secus est solum  *materialis* (specificativa): philosophus dormiens (non qua philosophus), et tunc recedit potius in suppositionem restrictionis. — En conspectum suppositionum:

Suppositio terminorum:			
I.	II.	III.	
per se soli:	ratione verbi:	ratione termini incidentis:	
materialis	formalis	a) status	a) restrictio
	realis	b) ampliatio	b) diminutio
	logica	c) distractio.	c) appellatio.
absoluta	personalis	d) disiunctiva, e) disiuncta.	
a) singularis, b) universalis-distributiva, c) collectiva,		d) disiunctiva, e) disiuncta.	
completa-incompleta			
sine vel cum exceptione.)			

## Liber secundus: De iudicio et propositione.

### Caput I: De natura iudicii et propositionis.

(Ideae quamquam sunt elementa cognitionis nostrae, per se tamen non nisi subiectivam cognitionem suppeditant, quin nos certos reddant de obiectiva rerum natura. Oportet ergo accedat actus mentis, quo id quod ideis concepimus, in se verum esse cognoscamus. Hic actus mentis vocatur iudicium.) *Iudicium* igitur, ut S. Thomas ait, „est illa operatio intellectus, secundum quam componit et dividit affirmando et negando.“<sup>1)</sup> (Hoc modo iudicium potius subiective spectatur; obiective consistit in *identitate obiectiva duarum idearum affirmata vel negata*.)

I. *Natura iudicii*. Tria igitur ad hunc actum mentis requiruntur: 1. *Duae ideae*, quae in omni iudicio supponuntur, una quae praedicatur, et altera, de qua praedicatur: e. g. homo est mortalis. 2. *Comparatio* illarum idearum; (neque enim temerarie et pro arbitrio, neque caeco quodam instinctu vel naturae necessitate (Hume,<sup>2)</sup> Kant, Reid, Jacobi), neque mera idearum subiectiva associatione (J. St. Mill, Spencer)<sup>3)</sup>, vel repraesentationum repugnantia mutua (Herbartani)<sup>4)</sup> sive intensitate (Stoici, Hume), ut quidam putabant,

<sup>1)</sup> S. Thom. Quaest. disp. de verit. 14, a. 1. Vide alias iudicii definitiones plus minus veras vel falsas, Eisler, Philos. Wörterbuch: Urteil. <sup>2)</sup> „Sie (die Assoziationsgesetze) müssen auf ursprüngliche Eigenschaften der menschlichen Natur zurückgeführt werden, die zu erklären ich keinen Anspruch erhebe“ (A treatise of human nature (1738) Teil I. Abschn. 4 (Übersetzung von Th. Lipps. II. Aufl. 1904, S. 23). <sup>3)</sup> Cfr. Müller, System der Philosophie, p. 76. E. Fischer, Gesetz der Entwicklung, p. 91. <sup>4)</sup> Drbal, Empirische Psychol. p. 65. De diversis sententiis vide Überweg, Logik, § 67; Windelband, Logik